

# MELITA THEOLOGICA

Vol. XIV

1963

## HISTORICA EVOLUTIO PRIVILEGII 'LIBERAE SEPULTURAE' REGULARIBUS A S. SEDE CONCESSI

### PRO REGULARIUM SUBDITIS

CUM privilegium hoc in alio 'exemptionis' nempe fundamentum habeat, cumque de hujus initio certo non constet,<sup>1</sup> vix affirmare possumus ante saeculum VI monasteria existisse privilegio 'Liberae sepulturae' gaudentia. Primam concessionem privilegii hujusmodi factam fuisse videtur saeculo VI exeunte pro monasterio S. Georgii in civitate Orvietensi existente.<sup>2</sup> Subsequentibus saeculis privilegium istud aliis monasteriis extensum fuit ita ut saeculo XII multa fuerunt monasteria quae hoc privilegio fruebantur. Insuper et Ordines Militares, Equites scilicet S. Joannis seu Melitenses, Teutonici ac Templari, praeter alia privilegia, et illud 'Liberae sepulturae' a S. Sede obtinuerunt ita ut quidam Episcopi hac de re in Concilio Lateranensi IV adunati lamentati sunt.

Saeculo XIII orti sunt Ordines Mendicantes. Papa Honorius III, per Bullam 'Sacrosancta Romana Ecclesia' diei 9 Decembris 1219, monialibus monasterii S. Mariae ad S. Sepulcrum de Monticello liberam sepulturam concessit et quidem sive pro seipsis sive pro illarum famulis servientibus.<sup>3</sup> Privilegium hoc statim extensum fuit aliis monialibus monasterii S. Mariae 'De Gattaiola', S. Mariae extra portam de Camullia necnon S. Mariae de monte Lucio ut videri potest ex aliis bullis ejusdem S.

<sup>1</sup> Lyszezarczyk, Ven., O.F.M., *Compendium privilegiorum Regularium praesertim Ordinis Fratrum Minorum*, Leopoli, 1905, p. 33 et sqq. Bondini, Aloys., O.M. Conv.; *De privilegio exemptionis*, Romae, 1919, p. 7 et sqq. Melo, Ant., O.F.M.; *De exemptione Regularium Dissertatio*, Washingtonii, D.C. 1921. p. 6 et sqq.

<sup>2</sup> Jaffe-Loewenfeld, *Regesta Romanorum Pontificum*, Lypsiae, 1885-1888, n. 1079.

Pontificis diei 19 et 24 Septembris 1222.<sup>4</sup>

Papá Honorio III defuncto, super Cathedram Petri anno 1227 venit Hugolinus, primus Ordinis Fratrum Minorum cardinalis protector, qui nomen sibi imposuit Gregorii IX. Hic Pontifex, eodem anno pontificatus sui primo, mediante bulla 'Ita vobis' diei 26 Julii, Fratribus Ordinis Minorum concessit ut in locis propriis pro seipsis liberam sepulturam haberent,<sup>5</sup> quod privilegium postea, die nempe 30 Novembris 1227, et Fratribus Praedicatoribus per litteras 'Cum a nobis petitur', concessum fuit.<sup>6</sup>

Sic rebus stantibus diversi ecclesiastici Praelati apparuerunt qui Religiosorum quietem valde molestati sunt. Isti enim Domini inter alia, 'contra Regulam a Sede Apostolica adprobatam et sui Ordinis instituta', ut ipse Papa Gregorius IX ait, Fratres defunctos apud illorum Praelatorum ecclesias sepeliri volebant et eorum exsequias celebrare. Volebant insuper ut si quis Fratrum consanguineus alibi quam in illorum Praelatorum ecclesiis sepulturam elegerat, funus primo in suis ecclesiis fieret nec sustinebant Fratres campanas vel coemeterium benedictum habere.<sup>7</sup> Papa tamen Gregorius IX statim, suis Constitutionibus diei 21 et 28 Augusti 1231, praedictis Praelatis praecepit ut a praenotatis gravaminibus Fratribus inferendis desisterent. Anno postea 1233 idem S. Pontifex aliam Constitutionem edidit in gratiam Fratrum Minorum qua privilegium liberae sepulturae renovavit atque confirmavit.<sup>8</sup> Nec promulgatione novi Codicis Juris Canonici hoc privilegium revocatum aut derogatum fuit, imo et pro omnibus professis necnon et novitiis et famulis actu servientibus et intra domus septa stabiliter commorantibus extensum est.<sup>9</sup>

#### PRO EXTRANAËIS

##### A Papa Gregorio IX usque ad Bonifacium VIII

Praeter privilegium liberae sepulturae pro se suisque subditis, Fratres mendicantes et alia privilegia ab ipso Domino Papa Gregorio IX asse-

<sup>3</sup> Bullarium Franciscanum, Romae, 1759-1908, Tom. I, p. 3 et sqq.

<sup>4</sup> *Ib.*, p. 10-15.

<sup>5</sup> *Ib.*, p. 31.

<sup>6</sup> Cf. Bullarium Ord. Praed., Tom. I, B. XVIII Papae Gregorii IX.

<sup>7</sup> Paulus C, *Welt und Ordensklerus beim Ausgange des XIII Jahrhunderts in Kampfe um die Pfarr-Rechte*, Essen-Ruhr, 1900, p. 7.

<sup>8</sup> Bull. Franc., l.c., p. 74 et 99 = Cf. Melo, o.c., p. 17.

<sup>9</sup> Can. 1208 § 2; 1221.

cuti sunt; ac propterea molestiae quae initio saeculi VII Monachis et saeculo XI Ordinibus Militaribus fiebant, ipsis Mendicantibus repetitae sunt. Proinde Papa Innocentius IV (1243-54) coactus fuit Litteris 'Nimis iniquas' anno 1245 editis praecipere Archiepiscopis, Episcopis coeterisque Praelatis ecclesiarum Italiae ut a graviminibus bis et iterum Fratribus praesertim Minoribus inferendis desisterent.<sup>10</sup> Hoc tamen non obstante lamentationes contra Fratres nunquam cessabant, imo in ipso C. Lugdunensi I (1245), gravis quaerimonia hac de re Papae Innocentio facta est.<sup>11</sup> Ast idem Pontifex amore et caritate plenus erga Fratres, Bullam praedictam 'Nimis iniqua' memorat dum Archiepiscopo Neapolitano, Messanensi et Sipontino scriberat et Archiepiscopo Mediolanensi, Pisano et Sipontino firmiter praecepit ut si qui praeceptum apostolicum neglexerint adimplere, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, eos ad omnia servanda compellerent.<sup>12</sup>

Tanta benignitate erga Mendicantes idem Pontifex non contentus aliam Bullam 'Cum a nobis petitur' die 25 Februarii 1250 edidit qua toto Ordini Fratrum Minorum concessit liberam sepulturam pro omnibus.<sup>13</sup> Ampliatio haec dicti privilegii multorum in Fratres concitavit invidiam et maxime parochorum qui religiosos considerabant tamquam jurium suorum invasores (plus oderant Religiosos — ut S. Bonaventura habet — quam Judaeos Christi adversarios.<sup>14</sup>) Adde quod illo tempore acerrimus Fratrum Praedicatorum et Minorum fuit Guillelmus a Sancto Amore, qui amaro in illos concitatus odio quia in Academia Parisiensi Magistrorum Colegio aggregati erant quosque ex ipsius Academiae gremio expellere tentaverat, librum 'De periculis novissimorum temporum' aliaque opera contra Mendicantium privilegia publicavit.<sup>15</sup> Quapropter mirum non est si idem Pontifex Innocentius IV Const. 'Etsi animarum' die 22 Novembris 1254 edidit qua Religiosis praecepit ut si quis in illorum ecclesiis ad sepulturam reciperent, omnium, quae obtentu hujus sepulturae consecuti fuerint, medietatem vel tertiam vel quartam partem secundum consuetudinem regionis, etiam non requisiti, infra octo dies a tempore receptionis epis-

<sup>10</sup> Bull. Franc., l.c., p. 368. Cf. etiam Melo, o.c., p. 17.

<sup>11</sup> Paulus C., o.c., p. 10, nota 1a.

<sup>12</sup> Bull. Franc., l.c., p. 372 et 375.

<sup>13</sup> Ib., p. 537.

<sup>14</sup> In *Libello Apologetico*, q. 22.

<sup>15</sup> Bouix D., *Tractatus de jure Regularium*. 2 Vol; 2a ed., Parisiis, 1867, II, p. 175 et sqq.

copo vel parcho reddere tenebantur.<sup>16</sup>

Alexander vero IV (1254-61) qui proxime Innocentio successit, Mendicantium Ordinum causam protexit suisque pontificiis diplomatis inimicorum pervicaciam fregit, libellum Guillelmi post maturum examen tanquam iniquum, scelestum et execrabilem aliasque instructiones ab eodem datas in perpetuum damnavit necnon Const. 'Etsi animarum' Praedecessoris sui, Bulla sua 'Nec insolitum est', diei 22 Dec. 1254, abrogavit.<sup>17</sup> Aliam deinde Constitutionem, die nempe 9 Aprilis 1255 idem S. Pontifex edidit qua, praeconio praemisso circa Fratrum Minorum ac Praedicatorum merita, Ecclesiae Praelatis universis mandavit ut benigne supra dictis Religiosis permitterent libere uti indulgentiis ac litteris a S. Apostolica iisdem concessis.<sup>18</sup>

Alexandro IV defuncto immediate successit Papa Urbanus IV (1261-4). Hic Pontifex ad instantiam Clavissarum Nuceriae liberam pro omnibus in suis ecclesiis sepulturam concessit Constit. diei 13 Dec. 1261 'Cum a nobis petitur'<sup>19</sup> quod postea extensum fuit aliis Monialibus.<sup>20</sup> Praeterea idem Pontifex omnia privilegia Ordinibus Mendicantibus jam concessa confirmavit ut videri potest in alia Constit. 'Cum a nobis petitur' die 29 Maji 1262 Minoribus et die 9 Februarii 1263 Praedicatoribus data.<sup>21</sup>

Post Urbani IV obitum, in Summum Pontificem Clemens IV electus fuit (1265-8), qui, vix quinque post menses electionis suae, Constitutione 'Virtute conspicuos' renovavit ut Fratres Ordinis Minorum nondum suis famulis libere ministrare potuissent ecclesiastica sacramenta et ipsos in eorum ecclesiis sepelire, sed et 'Sepulturam quoque in ecclesiis vestris concedimus ut eam liberam esse censemus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepelli desideraverint, nisi excommunicati... nullus obsistat; salva tamen justitia illarum Ecclesiarum a quibus corpora mortuorum assumuntur'; imo 'districtius inhibentes, ut nulli Religiosi vel saeculares vobis invitis aliquorum corpora defunctorum in vestris coemeteriis sepelire aut in Ecclesiis vestris Missarum sollempnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca vestra tumulandi feruntur, ibidem exsequias celebrare sine vestro assensu et voluntate prae-

<sup>16</sup> Bull. Franc. = Supplementum apud Claras Aquas, 1908, p. 259.

<sup>17</sup> Bull. Franc., Tom. II, p. 3.

<sup>18</sup> Ib., p. 29, Bulla 'Patris aeterni benignitas'.

<sup>19</sup> Ib., p. 431.

<sup>20</sup> Ib., p. 508

<sup>21</sup> Ib., p. 446; Bull. Ord., T:L: n. 35.

sumant'.<sup>22</sup> Etsi curati animarum aliique clerici saeculares aegre ferebant Fratres tantis privilegiis munitos, Papa Martinus IV (1281-5) anno 1882 privilegia Mendicantibus Ordinibus a suis Praedecessoribus concessa confirmavit quod idem fecit et Papa Honorius IV (1285-7), Martini IV successor, Constitutione 'Ex parte vestra' diei 18 Januarii 1286.<sup>23</sup>

#### A Papa Bonifacio VIII usque ad C. Tridentinum

Privilegia quae hucusque a Summis Pontificibus et praesertim illa quae per 'Ad fructus uberes' praedicti Martini IV Mendicantibus concessa, causa fuerunt magnae et periculosae discordiae inter Praelatos et Rectores parochialium ecclesiarum et Fratres Praedicatores et Minores in pluribus Ordinum provinciis constitutos.<sup>24</sup>

Tantis infirmitatibus atque dissentionibus Papa Bonifacius VIII (1294-303) — qui adhuc Cardinalis Caetani a Dno. Papa Nicolao IV Parisios ad adversariorum Fratrum accusationes refutandos missus — celebrem Bullam 'Super Cathedram' edidit quae postea inter Extravagantes Communes recepta est. In hac Bulla Papa Bonifacius Fratribus Praedicatoribus et Minoribus concessit et decrevit ut in suis locis libere sepelirent illos qui sepulturam libere ibi elegerint. Decrevit insuper ut ex omnibus obventionibus funeralium *quartam* partem et non ultra rectoribus parochialium ecclesiarum solverent. In fine Bullae tandem Praelatos atque rectores hortatur ut Fratribus non difficiles, duros aut asperos, sed potius favorabiles, propitios, benignos ac liberales studeant se exhibere et tamquam cooperatores eorum idoneos et laborum suorum participes prompta benignitate recipiant ac affectuose admittere non omittant.<sup>25</sup>

Hoc suo documento pontificio Bonifacius VIII omnes discordias Praelatos saeculares inter et Fratres penitus evellendas sperabat. Sed, proh dolor!, spes sua ipsum fefellit. Novae enim quaestiones circa canonicam portionem solvendam ortae sunt quia in quibusdam locis, sive *medietas* sive *tertia pars* solvi consueverat. Proinde idem Pontifex die 27 Maji 1300 aliam Constitutionem edidit qua nedum sepulturam pro omnibus liberam Fratribus confirmavit, sed insuper sua auctoritate apostoli-

<sup>22</sup> Bull. Franc., Tom. III, p. 19. In eadem Constit., §38, idem Pontifex solutionem canonicae portionis a minoribus faciendam valde restrinxit.

<sup>23</sup> Ib., p. 555. Cf. etiam celeberrimam Constit. Papae Martini IV 'Ad fructus uberes' in Bull. Franc., Tom. III, p. 480 et in Bull. Ord. Praedic., Tom. II, n. 2.

<sup>24</sup> Paulus C., o.c., p. 7.

<sup>25</sup> C. II, De Sepultura. Cf. etiam Bull. Franc., Tom. IV, p. 496 et Melo, o.c., p. 18.

ca declaravit Fratres nullo modo, ratione consuetudinis, ultra quartam solvere teneri.<sup>26</sup> Hac nova Constitutione non obstante, alia jurgia orta sunt inter Clerum Romanum et Fratres Praedicatorum atque Minores. Finem hujuscemodi dissensionibus facere cupiens, Bonifacius aliam promulgavit Constitutionem 'Inter dilectos', diei 9 Augusti, 1303, qua relationes, obligationes et jura praedictorum accurate statuit.<sup>27</sup> Iis nonobstantibus pax valde desiderata inter contententes facta non fuit.

Papa Benedictus XI (1303-4) igitur omnium jurgiorum intendens tollere materiam ac novitatem, ut ipse fatetur, a suo praedecessore inductam, die 17 Februarii 1304 Constitutionem 'Inter cunctas' edidit qua illam 'Super cathedram' Bonifacii VIII revocavit decrevitque ut deinceps Fratres dimidiam partem funeralium solverent.<sup>28</sup>

Eodem anno promulgationis supradictae Constitutionis, Papa Benedictus e vivis ereptus fuit et Clemens V in S. Pontificem electus est (1305-14). Pontifex hic animadvertens Benedicti constitutionem nedum speratae pacis fructum non attulisse sed et discordiae non modicum fumentum suscitasse,<sup>29</sup> in Concilio generali Viennensi anno 1311-2 habito, Constitutionem 'Dudum' promulgavit qua illam benedictinam revocatoriam omnino cassavit et aliam 'Super cathedram' Bonifacii VIII, eodem sacro instante et adprobante Concilio, plene innovavit.<sup>30</sup>

Celeberrima utique evasit haec Clementina Constitutio sed non ideo dissidorum ignis penitus extinctus fuit. Frequentes enim quaerelae, ex diversis mundi partibus, circa inobservantiam Constitutionis 'Super cathedram' Papae Joanni XXII. (1316-34) sive ex parte Praelatorum et Rectorum ecclesiarum sive ex parte Mendicantium fiebant.<sup>31</sup> Volens igitur S. Pontifex praedictam 'Super cathedram' irrefragabiliter observari diversis Judicibus seu Conservatoribus mandavit ut molestatores, contradictores quoslibet et rebelles quandocumque et quotiescumque expedierit in futurum censuris ecclesiasticis compescerent.<sup>32</sup>

Benedictus Papa XII (1334-42) aliique posteriores Summi Pontifices,

<sup>26</sup> Bull. Franc., l.c., p. 504.

<sup>27</sup> Ibid., p. 578.

<sup>28</sup> Bull. Franc., Tom. V., p. 11. Cf. etiam C. I; De Privilegiis, Extr. Com.

<sup>29</sup> Ad aliquam ideam perturbationum illius temporis inter Fratres et Clerum saecularem juvat Bullam 'Grave gerimus' Papae Clementis V in Bull. Franc., Tom: V, p. 47, legere.

<sup>30</sup> Bull. Franc., Tom. V, p. 87. Cf. etiam C. 2, De Sepult., in Clem. III, 7.

<sup>31</sup> Bull. Franc., Tom. V, p. 318 et 456.

<sup>32</sup> Ib., l.c. — Cf. Melo, o.c., p. 19.

pluries in pontificato suo mandarunt ut Constit. 'Super cathedram' tum a Fratribus tum a Clericis saecularibus inviolabiliter observaretur.<sup>33</sup>

Istis tantorum RR. Pontificum innumeris constitutionibus latis irrevocabiliter videbatur firmatum privilegium de libera pro omnibus sepultura et quarta tantum danda. Urbanus tamen VI, qui anno 1378 S. Pontifex renunciatus fuit, anno VII pontificatus sui, Constit. 'Etsi animarum' edidit qua, in virtute sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda mandavit ut Fratres omnium quae obtentu sepulturae consecuti fuerint dimidiam vel tertiam vel quartam partem juxta f.r Gregorii Papae praedecessoris decretum parochis redderent.<sup>34</sup> Hinc Mendicantes, in diversis regionibus, saepius molestari coeperunt. Quapropter Bonifacius Papa IX (1389-404), non semel sed pluries, Decretalem 'Super cathedram' observari jussit et omnia privilegia Fratribus a Bonifacio VIII et Clemente IV concessa de novo confirmavit.<sup>35</sup>

Ex hucusque dictis patet RR. Pontifices, uno alterove excepto, potius pro parte Religiosorum inclinatos fuisse et ita jam a tempore Papae Innocentii III (1404-6) minus frequentiores lites factae sunt. Tractu insuper temporis S. Pontifex Martinus V (1417-31) privilegium liberae sepulturae extendit Canonicis Regularibus S. Augustini<sup>36</sup> et Eugenius IV (1431-7) illud concessit Congregationi S. Justinae, alias Unitatis nuncupatae Ordinis S. Benedicti illosque a qualibet solutione portione funeralium exemit.<sup>37</sup> Ita etiam Papa Nicolaus V (1447-55) Fratres Carmelitas a qualibet solutione canonicae portione, non obstante C. 'Dudum' exemit.<sup>38</sup>

Papa Sixtus IV (1471-84) anno 1474 Const. 'Regimini universalis Ecclesiae' promulgavit qua Fratribus Minoribus multa alia privilegia concessit<sup>39</sup> inter quae '(mortuos) cum habitu Fratrum Minorum aut Sororum

<sup>33</sup> Bull. Franc., Tom. VI, p. 2, 128, 142, 160, 199, 273, 296, 395, 494 etc.

<sup>34</sup> Cf. Magnum Bullarium Rom. — Luxemb., Luxemburgi, 1727-30, pars III, p. 217

<sup>35</sup> Bull. Franc., Tom. VII, p. 20, 27 et 69; cf. etiam Bull. Ord. Praedic., Tom. II, n. 344.

<sup>36</sup> Cf. Magnum Bullarium Romanum, Augustae-Taurinorum, 1857-1872, Tom. IV, p. 697.

<sup>37</sup> *Ib.*, Tom. V, p. 26.

<sup>38</sup> Cf. A Sorbo H., O.M.C., *Compendium privilegiorum Fratrum Minorum et aliorum Mendicantium et non Mendicantium*. Venetiis, 1617, p. 102, v. *Canonica portio*. Privilegium Liberae Sepulturae Fratribus Carmelitis Papa Joannes XXII et Fratribus E.S. Augustini Papa Bonifacius VIII concessit. Cf. Bull. Franc., Tom. V, p. 318.

<sup>39</sup> Et ideo Constitutio haec et 'Mare Magnum' vocatur. Cf. Magnum Bull. Rom.,

dicti Ordinis de Poenitentia... apud Fratres ipsos esse sepeliendos, etiam si alibi suam elegerint sepulturam, nec posse, etiam in loco per ipsos electo, aut ad sepeliendum portari, absque Fratrum domus loci, in quo tales decesserunt, expressa licentia et assensu'. Imo ipse Sixtus IV Fratres Praedicatores,<sup>40</sup> Carmelitas,<sup>41</sup> et Regulares Congregationis Lateranensis<sup>42</sup> a solutione quartae funeralis exemit.

Papa Alexander VI (1492-503) Ordinem Minimorum seu Eremitarum a S. Francisco de Paula adprobavit et ad illum Medicantium Ordinum privilegia atque indulgentias extendit<sup>43</sup> quod postea S.P. Julius II (1503-13) iterum renovavit atque confirmavit.<sup>44</sup>

Istis documentis pontificiis non obstantibus frequentes atque graves dissensiones et lites circa privilegium liberae sepulturae inter clerum saecularem et regularem oriebantur<sup>45</sup> quas ut componeret Leo X (1513-21) anno 1516, in C. Lateranensi V, constitutionem. 'Dum intra' publicavit qua plura privilegia a S. Apostolica Regularibus concessa moderatus est.<sup>46</sup> Attamen idem Pontifex anno 1519 aliam C. 'Dudum per nos' edidit qua privilegia et indulta a S. Sede Orinibus Mendicantibus concessa renovavit confirmavitque.<sup>47</sup>

#### A Concilio Tridentino usque Codicem J.C.

Anno 1545 initium habuit C. Tridentinum in quo altae auditae sunt quaerelae circa Mendicantium Ordinum privilegia. Concilium vero privilegia haec non extinxit sed utique valde mitigavit. Quod ad rem nostram pertinet S. Synodus 'Decrevit... ut... quarta, quae funeralium dicitur... posthac integro jure et eadem portione quae antea solebat, cathedrali seu parochiali ecclesiae persolvatur, nonobstantibus concessioni-

Tom. V, p. 217. Cf. etiam A Sorbo, o.c., p. 102 et sqq.

<sup>40</sup> Magnum Bull. Rom., Tom. V, p. 224

<sup>41</sup> A Sorbo, o.c., p. 103.

<sup>42</sup> Magnum Bull. Rom., Tom. V, p. 239.

<sup>43</sup> Ib., l.c., p. 380 et sqq.

<sup>44</sup> Ib., l.c.; p. 421 et sqq.

<sup>45</sup> Cf. Reiffenstuel A., O.F.M., *Jus Canonicum Universum*, Parisiis, 1853, I.III, t. 28, n. 30. — Cf. etiam Moccheggiani P., O.F.M., *Jurisprudencia ecclesiastica*. Ad Claras Aquas. 1904-1905. II. n. 1168.

<sup>46</sup> Magnum Bull. Rom., Tom. V, p. 685. Cf. etiam Matthaeucci A., O.F.M., *Officialis Curiae ecclesiasticae ad praxim pro foro ecclesiastico utiliter aptatus*. Venetiis, 1736, p. 370.

<sup>47</sup> Magnum Bull. Rom., Tom. V, p. 732.



bus, gratiis, privilegiis... aut aliis quibuscumque'.<sup>48</sup> Imo Pius Papa IV, die 18 Februarii 1564, privilegia omnia etiam Regularibus concessa quae statutis et decretis C. Tridentini adversabantur, revocavit, cassavit atque annihilavit.<sup>49</sup>

Hujus decreti observantiam Episcopi statim urgere coeperunt, sed cum plerique non modicum hac occasione Regularibus gravamen inferre coeperint, S. Pontifex Pius V, anno 1567, Constit. 'Etsi Mendicantium Ordines' promulgavit qua plura C. Tridentini decreta, quae Regulares respiciebant, interpretatus est. Ad rem nostram quod attinet quartam funerariam 'nequaquam solvere teneantur monasteria, quae e quadraginta annis fundata existunt, postquam Concilium Tridentinum ipsum loquitur tantum de monasteriis ante annos quadraginta fundatis, quae ipsa quartam solvere consueverunt; et ubi solvi consuevit, ea tantum de cera... non autem de missis, seu legatis vel aliis... solvi debet... Ubi vero non est consuetudo solvendi quartam hujusmodi, de nullo supra scriptorum solvi debere declaramus'.<sup>50</sup> Idem decrevit Paulus V in Constit. 'Decet Romanum Pontificem' diei 20 Augusti 1605 in favorem Fratrum Carmelitarum aliorumque Regularium.<sup>51</sup>

Iis nonobstantibus quaestiones et lites inter parochos et Regulares in diversis Italiae locis quotidie augmentabantur<sup>52</sup> et ad Tribunalia romana mittebantur. Istitis litibus taedio affectus Papa Benedictus XIII (1724-30), etsi magna paternaque caritate erga Regularium et praesertim Praedicatorum familias sese gerebat, in C. Romano, anno Jubilaei 1725, habito Constitutionem 'Romanus Pontifex, aequi' edidit qua praedictum privilegium de quarta non solvenda a monasteriis intra Italiam eique adhaerentes insulas existentibus ad normam juris communis reduxit.<sup>53</sup>

Anno tandem 1917, die festo Pentecostes, Codex Juris Canonici promulgatus fuit a Papa Benedicto XV. In hoc Codice Regularibus conceditur jus funerandi atque sepeliendi non tantum suos assecclas sed et

<sup>48</sup> Sess. XXV, c. 13, De refor.

<sup>49</sup> Magnum Bull. Rom., Tom. VII, p. 277 et sqq.

<sup>50</sup> Ib., l.c., p. 573.

<sup>51</sup> Ib., Tom. XII, p. 340. Cf. etiam Many S., *De locis sacris*. Parisiis, 1904, p. 326; Lyszezarczyk V., o.c., p. 190.

<sup>52</sup> Cf. v.g. Constit. 'Emanarunt nobis' diei 24 Aug. 1722 Papae Innocentii XIII in Magnum Bull. Rom., Tom. XXI, p. 926 et sqq.

<sup>53</sup> Magnum Bull. Rom., Tom. XXII, p. 148; Lyszezarczyk V., o.c., p. 190; Ferraris L., O.F.M., *Bibliotheca canonica, juridica, moralis, theologica etc.*. Romae 1885-1892, n. 24, v. Quarta funeralis.

extraneos qui in locis Regularium funus aut sepulturam legitime elegerint. Hoc tamen in casu, quoties nempe fidelis non funeratur in ecclesia paroeciali propria, salvo jure particulari, proprio defuncti parrocho debetur portio paroecialis, excepto casu – quod novum est in jure – quo cadaver in ecclesiam propriae paroeciae commode asportari nequeat.<sup>54</sup>

A. TABONE

<sup>54</sup> Cf. Canones 1208 §2; 1223 §1; 1228 §2; 1230 §3; 1236 §1.